

2.

SPECIMEN ACADEMICUM
DE
PRINCIPIO
IDEALISMI TRANSCENDENTALIS
SCHELLINGIANI,
CUJUS PARTEM PRIMAM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN ACAD. AB.

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIUNT

AXELIUS ADOLPHUS LAURELL

Philosophiæ Magister

ET

JOHANNES FREDERICUS ELFWING

Stipend. Publ. Nylandus.

In Audit. Philos. die XXI Junii MDCCCXXVI.

horis ante meridiem solitis.

ABOÆ,
TYPIS J. CH. FRENCKELL & FIL.

2.

OFFICINÆ METALLICÆ POSSESSORI
NOBILISSIMO DOMINO,
D: NO ADOLPHO WILHELMO TIGERSTEDT
AVUNCULO DILECTISSIMO
in gratam beneficiorum in se suosque memoriam

sacrum

debut voluit

Ax. Ad. Laurell.



DE
PRINCIPIO IDEALISMI TRANSCENDENTALIS
SCHELLINGIANI.

Neque enim disputari sine reprehensione, nec cum
iracundia aut cum pertinacia bene disputari potest.

Cic. de Fin. Bon. & Mal. L. 1.

Ita inexstinguibile est, quod ingenuum certe quem
que impellit atque excitat, harmoniæ & unitatis
desiderium, pugna proficiscens atque dissensione
continua oppositorum, externi & interni, intelligen-
tiæ & naturæ, libertatis & necessitatis, ut non mi-
randum esse videatur, scientiam eam, quæ in sus-
tollenda discordia inque oppositis unitate concilian-
dis tota versatur, Philosophiam loquimur, nullo
non tempore flagrantissimo studio esse petitam.
Quæ harmoniæ divinatio etsi compluribus compe-
tat, facile tamen inter omnes convenire debet,
qui in investigando absoluto essendi atque cognos-
cendi principio problema ponunt philosophiæ, hoc
eam continere difficultatem, ut pauci, immo
paucissimi, ea sint donati, non solum ingenii sub-
tili-

tilitate atque sagacitate, verum etiam, ut recte monuerunt clari viri *a*), animi probitate atque constantia, ut ejus tentare valeant solutionem. Spes igitur ad fontem perveniendi sapientiæ multos, plures forsitan vanum rerum novarum studium, allicit ut, vi quamvis carentes, lubricam tamen & arduam ingrediantur speculationis viam, cujus cum non valeant ferre labores, e plus minusve puris rivulis, quos ipsi duces in altioribus locis positi eis deducere dignentur, hauriunt sapientiam. Hinc, cum vir aliquis ingenio ornatus ad Systema Philosophicum se accingit extruendum, præsertim si plane novam rei litterariæ polliceatur faciem, multam videmus turbam ad ejus concurrere signa, atque eam, si res & tempora ita ferant, igne quidem et ferro sibi sumere defendenda. Ut vero unumquodque exoriens systema suos statim habet sectatores, ita etiam adversarios.

Sunt hi aut sectatores alius cujusdam Systematis, aut ii, qui, sive interna deterriti scientiæ difficultate, sive quadam ingenii retracti tarditate, omnem abhorreant philosophiam, eamque, ut ad concoquendum duram omnino respuant *b*). Hi, specie

a) E. g. B. C. H. HÖIJER. Vid. *Afhandling om den Phil. Constr.* pag. 140.

b) Sed, ut opinor, hic error & hæc indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non

cie moderatiores, diruta brevi post ortum philosophorum systemata, rationis humanæ imbecillitatem, &c. prætexunt. Illi vero, cœci scilicet systematum sectatores, terminorum assiduitate parum firmam tegentes cognitionem, facile sibi persvadent aliisque obtrudere student, scientiam omnem ipsis esse subditam; insolentiusque dein se efferentes, hæredes quasi imperii scientiarum nati, cum una pars alterius principatum in dubium & controversiam vocare videtur, acerrimam invicem ineunt pugnam. Cum tamen res verbis solum geratur, neque tam de systematum pugnetur principiis quam de consequentiis inde profluentibus facile est intellectu, laccessitudinem solam pugnæ finem imponere posse. Victores tamen utraque pars se prædicantes, satis se gloriæ adeptos putant, si inane conservaverint philosophorum nomen. Cessante jam pugna, isti philosophiæ contemtores — misologos dicerem — tempus lauros colligere rati, ad usum suum arma demum adhibent relicta. Neque horum diurnus triumphus, nec invidia dignus. Spolia ista, olim tam splendida, aut novitatis amiserunt oblectamentum simulque pretium omne, aut si hujus aliquid retinuerint, Scepticismus graviter procedens possessionem vocat in contentionem. — Omnibus jam inter se mistis, cum nihil denique certi sit

A 2

nihil

possunt; nec eos, a quibus vita instructa primis sit, philosophos fuisse arbitrantur. Cic. Tusc. Qu. L. V.

nihilque stabile, quo nitatur ratio, hæc, sententiarum turbis in diversa rapi fessa, ad viam absoluti a primordiis investigandam impellitur, qua, ne iterum systematum implicetur detineaturque laqueis, necesse est, Scepticismum habeat ducem, qui, errores detegens, viam monstret, nisi rectam ad scopumque ferentem, tamen novam & nondum tentatam. Hunc nobis Sceptiscismus videtur semper habuisse usum. Vexato enim a Scepticismo quocunque Systemate philosophico, eis, quibus capta fuerit ratio, erroribus obstitit, omnemque in eos vim exseruit idem Scepticismus; qui, cum stolones, ut ita dicam, & vagos circumsecuerit surculos, si in ipsam radicem atque stirpem speculationis aliquando videatur intendisse ferrum, utræque hæ, & radix & stirps, præcisus illis, id naictæ sunt roboris, ut resistere facile valeant, & speculationis forma, separatione partium facta alienarum, semper necesse est, venustior evadat & rotundatior.

Quodsi jam ad Philosophiæ, quam nostra viderunt tempora, attenderis faciem, in spectaculo, quod oculis offert, picturæ a nobis strictim designatæ haud absimilia reperies lineamenta. — Menti humanæ, causis, quarum enumeratio nos justo longius ferret, in discordiam dilapsæ internam, opus fuit se colligere redeundoque ad se ipsam libertatem sibi plenam vindicare. Kantii igitur studium, Humii Scepticismo excitatum, quo
ratio-

rationem cum a vanis Dogmatismi quæstionibus tum ab incurioso & (sit venia verbo) indolenti sensus communis otio revocare, eamque in patriam quasi restituere conatus est Criticismi laudatus Auctor, desiderio ex ista discordia nato erigentem præberet, necesse fuit, atque consolantem spem quietis tandem consequendæ. Si vero generale seculi fuit ingenium id, ut ratio, qua talis, sibi satisfacere studeret, non minor singulorum fuit propensio proprio Marte ad id eniti punctum, quo omnia referrentur opposita & restinguerentur, causaque tam multorum atque diversorum systematum, quæ nascentia vidit recentius tempus, in hac propensione potissimum est quærenda. Qua tamen, cum ex una parte efficeretur, ut Philosophia fervidissimo peteretur amore mirandosque sane faceret progressus, ex altera in polemica præcipitata est jurgia, quæ insanam illam atque miserabilem sectarum genuerunt iram & aluerunt; quin immo eo redacta est hæc, "vitæ", ut loquitur Cicero, "dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum," ut causam pepererit invidiæ privatique odii. — In tanta igitur sententiarum multitudine turbulentisque sectatorum & adversariorum clamoribus etsi peritura omnino videretur speculatio, hæc tamen, omnibus illis spretis, rectâ progressa nativum servavit ingenium. Kantianas scilicet vices suscipientes atque servantes clarissimi viri, Reinhold, Beck, Fichte, Schelling, immenso labore divinoque ingenio

genio eo evexerunt philosophiam ut summum jam culmen visa sit, in viri ultimo loco nominati systemate, attigisse.

Ut vero Systema Schellingianum vinculo quasi omnia videtur systemata comprehendisse præcedentia, ita omnem horum sibi contraxisse partim iram, partim studium. Neque ullum recentioris temporis Systematum ea, qua hoc, notabile est adversariorum sectatorumque turba, difficileque erit dijudicatu, an risu magis quam miseratione digna sint, cum horum studium fervorque insanus, quibus Lapidem Philosophorum, antea frustra quæsitum, jam inventum esse prædicarunt, tum ira improvidaque cura illorum, quos si audieris, in eam facile induceris opinionem, nihil umquam aut levius esse excogitatum aut incautius negligentiusque fundatum c). Vim igitur quam habuit laudatum systema in scientiarum cultores si consideraveris,

partem

c) Haud temperare nobis possumus, quin heic verba apponamus Grubbii e suavissimo ejus tractatu, *Om Philosophiens närvarande tillstånd: af alla den sednast förslutna tidens filosofiska systemer gifves väl intet, som blifvit på så olika sätt bedömdt som det Schellingiska: dess uppfinnare har ömsom blifvit ansedd såsom Tidehvarfvets största Snille och såsom dess ursinnigaste Phantast. Imellertid torde den som utan fördom betraktar den strid, hvilken nu i hela tjugu år blifvit förd om detta System, redan af stridens långvarighet finna sig föranledd, att åtminstone i förhand misstän-*

partem videbis terminis ejus utentem instar carminis, quo scientia omnis evocaretur atque comprehenderetur, absolutamque nimirum identitatem, polaritatem, ideale & reale, &c. semper in ore, ad fastidium usque, ferentem d), partem omnino a Philosophia descendentem, experientiam unum prædicare cognitionis fontem, admonitionis ita Leibnitzii plane oblitam: neque omnia neque nihil novatoribus esse tribuendum.

At si, phænomenis solum externis, quæ in re litteraria provocavit, consideratis, disciplina Schellingiana non potest non videri ejus attentione dignissi-

ka, att intetdera af dessa motsatta omdömmen kan vara det rätta, och att intetdera af dem blir det, vid hvilket efterverlden, när så väl Anhängarnes svärmeri som motståndarnes polemiska förbittring hunnit afsvalna, engång kommer att stadna. På ena sidan är det väl föga sannolikt, att ett System, som ej bestode af annat än idel non-sens, skulle kunna väcka så stort och långvarigt uppseende, håldst i ett land der interesstet för grundelig vettenskaplig forskning yttrat sig med en utmärkt grad af liflighet och energi; men på den andra torde det ock synas svårt att förklara, hvarföre detta System icke på så lång tid hunnit vinna ett allmännare bifall, i fall det verkligen ågde den vettenskapliga fullkomlighet som dess anhängare och beundrare tillagt det. Swea. 4 H. pag. 136, 137.

d) De ejusmodi nudo atque inani formalismo egregie disserit Hegel in præfatione Libri, qui inscribitur: *System der Wissenschaft, Erster Theil*; Vide pagg. 51 & sqq.

gnissima, qui Philosophiæ rationibus vel minime faveat, eumque ad graviorem excitare adcuratio-remque internæ indolis disquisitionem, hac tandem inita, moveatur, necesse est, scrutator, cum problematis profunditate, quod sibi proposuit Auctor, tum ingenii subtilitate, qua ejus tentavit solutionem. In eo scilicet immenso labore occupata est immortalis viri omnis opera atque studium, ut Systema conderet absolutissimum, organicum, ex absolute essendi & cognoscendi principio emanans in idque refluens, quo Naturam & Intelligentiam, peculiarem etsi utrique sanctissime confirmans indolem, amicissime tamen jungeret. Ingenii autem cum admiraris acumen, quo novas rationes in doctrinæ copiam experientia laboribusque paratam applicare studuit, non potes quin summa etiam profundaris voluptate, lectione quasi poëmatis varii & elegantis; is nempe est ingenii acumini junctus Platonicus fere Phantasiæ luxus.

Quæ cum ita sint, etsi Doctorum de Systemate nondum videatur judicium stabilitum, tamen nemo, ut speramus, nobis vitio vertet, etiam nos adversariorum & sectatorum clamoribus primum excitatos, rerum dein ductos gravitate orationisque incredibili amoenitate, in Disciplinæ Schellingianæ studio magnam juvenilis operæ partem collocavisse, veritatis ita satiare studentes amorem, flagrantem omnino dolorosamque fere spirantem dulcedinem.

nem. Cum vero, id præcipue elaborantes, ut completam Systematis nobis formaremus ideam, genuinam in scriptis Auctoris solum investigaremus indolem momentumque quod in Philosophiam habuerit & ceteras scientias, etsi objectorum impedimentorum primum omnium in exiguis nostris inexercitatisque posuerimus viribus, haud tamen ea nos fugere potuit difficultas, quæ in eo sita est, quod Schellingius, in stadium speculationis Fichtio duce prodiens, hunc initio secutus est, Systematisque proprii sui nisi fragmenta nondum ediderat. Quam ut sublevarem difficultatem, id nobis investigandum erat punctum, quo, ab Antecessore se sejungens, Rationis lucernam arripuit, speculationis viam ea ipse collustraturus. Idealismo vero Transcendentali Schellingii examinato, principium hujus a Fichtiano illo omnino differre facile observavimus; quare, cum præterea in eo semina sequentium lateant rationum, hujus loci accuratior disquisitio visa est idonea, non solum ad determinandum Fichtianæ atque Schellingianæ disciplinarum discrimen, verum forsitan etiam ad veram hujus speciem explicandam.

Quare cum in eo essemus, ut specimen edere-
remus in Philosophicis, operæ pretium esse duxi-
mus, principii Idealismi Transcendentalis Schelling-
iani expositionem & æstimationem qualemcum-
que, Doctiorum miti offerre censuræ. Quæ ut ra-
B tione

tionē & ordine procedat disputatio, primum evolutionem hujus principii ex illo Idealismi Fichtii discrimenque eorum proponemus, tum ipsam indolem dijudicabimus, denique, quid momenti hocce principium totumque, quod eodem fundatur, Idealismi Transcendentalis Systema in sequentes disciplinæ rationes habuerint, investigabimus. Cum vero arrogantiae magis quam justæ esset tribuendum fiducia, operis, quod verecundantes, ut tiro-nes decet, proponimus, non petere excusationem, Te, B. L. ne acriorem in primum juveniliū vi-rium inambitosumque tirocinium intendas limam, enixe rogamus, faciliorem persuasi nobis fieri cau- sam propter ingenium amorem, quo, difficilem et arduam rem adgressi, veritatem solam sine ulla contentione acquisivimus.

Defectus atque angustiae, quibus premebatur Disciplina Kantiana, sagacitate Scepticorum Maimonii & Schulzii detectæ & indicatæ, Fichtio — viro satis in philosophia insigni nobiliorique, quam ut ejus gloriam nostræ augerent laudes — ansam de-derant absoluti philosophiæ principii investigandi, quo surgeret systema, quod non solum irrepentem Kantianorum Dualismum, horum *Rei per se* origi- nem debentem, everteret, verum etiam diversas totius disciplinæ Kantianæ rationes, Intuitus nimi- rum Formas & Categorias, immo Philosophiam to- tam

tam quantam, Theoreticam & Practicam, vinculo quasi comprehenderet arctissimo e). Cum vero hoc principium, quia absolutum esse debet, ab alio quodam neque demonstrari neque deduci possit, illum, necesse est, exprimat actum, qui ab empiricæ conscientiæ circumscriptionibus ita est liber & immunis, ut his quidem ultimo sit fundamento. Ne vero aliud quam genuinus hic actus cogitetur, abstractione opus est atque reflexione, quibus omnia ad eum non pertinentia excludantur & is solus retineatur. Reflectentem vero hanc abstractionem consummaturo egrediendum est e quodam conscientiæ facto, cujus veritas, non in dubio posita & controversia, ab omnibus conceditur, ut, abstractis empiricis omnibus limitationibus, ad id perveniatur, a quo non ulterius abstrahere potest ratio. Thesis: A est A, ab omnibus sine ullo negotio concessa, Fictio visa est summum illud philosophiæ includere principium. Cum vero ad hanc thesin nihil pertineat, an revera constitutum sit A nec ne, *nexum* solum *necessarium* subjecti A & prædicati A, qui nexus vocetur X, exprimit, id solum affirmans: si constitutum est A, constitutum est. Cum vero ego hoc X ut absolutam legem pronuntiem hæc lex mihi immediate est data, h. e. per Ego ipsum data, atque X per τ_0 Ego atque
B 2 in

e) Cfr. *Öfversigt af filosofiens närvarande tillstånd, af S. Grubbe. Swea 3 H. pag. 11—50. Berghom de Ortu & Indole Ideal. Fichtii pag. 6—15.*

in $\tau\omega$ Ego constitutum, quo nihil intelligitur aliud, quam, si quid (A) per $\tau\theta$ Ego & in $\tau\omega$ Ego sit constitutum, *constitutum est* sive *solum est*. Hinc sequitur aliquid in $\tau\omega$ Ego esse, quod semper *unum* & *idem* maneat, at X illud e Thesi: A est A, in nexum hujus *unius ejusdemque* mutatur, cujus est expressio: Ego est Ego. Inter Thesin igitur: A est A, atque hanc, Ego est Ego, id est discriminis, ut, cum illa sub conditione solum constituti A valeat, hæc æque absoluta ac ipsum X, non solum omnis libera sit conditionis, verum etiam ipsa, quippe quæ *unum* illud atque *idem* enuntiet, conditionem & fundamentum Theseos $A=A$ constituat. Thesis, Ego est Ego, igitur, utpote suum ipsa constituens subiectum, mutatur in: *Ego sum*, conscientiæ factum immediatum. Atqui Thesis $A=A$ est iudicium & omne iudicium actus; hinc hoc iudicium, quæ actus, suum habet fundamentum atque rationem in quodam altiore, a nihilo pendente, absoluto, dicto scilicet illo: *Ego sum*. Absolute igitur constitutum, a se ipsum oriens, Ego sum, ut *ratio* & *fundamentum actus*, hujus etiam esse debet intima natura & purus character, h. e. $\tau\theta$ Ego constitutio per $\tau\theta$ Ego actum debet exprimere purum & in se consideratum. Thesis igitur: Ego sum, *genuum* exprimit non solum *factum* verum etiam conscientiæ omnis *actum*, *constituere* scilicet vel *agere* atque *esse* una continens expressione. Sed si jam Esse $\tau\theta$ Ego per solum hujus oritur Constituere,

tuere, & viceversa, utrumque sit, necesse est, in & pro $\tau\omega$ Ego, (in und für das Ich) quare expressio quæsitæ actus genuini erit, Ego sum absolute *quia* sum, & sum absolute *quod* sum, utrumque per me, h. e. *Ego originitus constituit suum Esse*, quod itidem absolutum omnis cognoscendi & agendi est principium.

Ut vero Thesis $A=A$ primum scientiæ principium dat, ita: — A non est A , secundum. Quæ meram oppositionem exprimens, si formam respereris, æque est absoluta ac illa, si materiam, a constitutione $\tau\delta$ A pendet. Cum vero originitus nihil præter $\tau\theta$ Ego constitutum sit, nihil etiam absolute potest opponi nisi $\tau\omega$ Ego: Simul vero ac oppositionem — A & A concesseris ut immediatum conscientiæ factum, concedenda etiam tibi est $\tau\delta$ Non-Ego & $\tau\delta$ Ego absoluta antithesis, quippe quæ originalem sola contineat oppositionem. Inventum ita est scientiæ secundum principium, absolutum quod ad formam, ad materiam vero a primo mediatum, sic exprimendum: $\tau\omega$ *Ego absolute opponitur Non - Ego.*

Ulterius, cum $\tau\theta$ Non-Ego plane $\tau\omega$ Ego sit oppositum, necesse est ut, quatenus $\tau\theta$ Non-Ego positum sit in $\tau\omega$ Ego, Ego ibi non sit constitutum. Attamen constitui debet Ego eatenus etiam, quatenus Non-Ego constitutum est, quia hujus constitutio omnino a constitutione pendet illius, per quod

quod omne constitutum est, quod constitui potest. Hinc repugnantia oritur. Quam ad sustollendam cum æque absolute impellamur, ac principia absoluta sunt, quibus est orta, problema, quo conciliatio efficietur, determinatum quidem est, ratio vero ipsa solutionis indeterminata. Quare tertium Scientiæ principium, problematis solutionem contenturum, forma erit mediatum, materia vero absolutum. Quia vero absoluta est solutio, imperii solum jure Ratio eam pronuntiabit. Tertium hoc principium est: Ego & Non-Ego ponuntur ut se invicem limitantia, quod quidem, quia divisibilitatis continet notionem, sic etiam potest exprimi: *Ego opponit in τω Ego divisibile Non-Ego divisibili Ego.*

Qua principiorum Idealismi Fichtii enucleatione suscepta (quæ tamen ad explicandum discrimen inter hunc & Schellingianum illum erat necessaria) si jam longiores fuisse videamur, multum intererit, ne in prolixitatis vitium omnino incidamus, summam solum ipsius Systematis proponere. Quæ vero Systematis summa, quemadmodum totum systema non nisi tertiæ theseos est evolutio, ita ex hac omnino potest enucleari. — Continet scilicet tertia thesis duas hasce: primum ponit Ego se ipsum ut limitatum per τω non-Ego, tum constituit Ego τω non-Ego ut limitatum per τω Ego. Prima harum Theoreticæ philosophiæ est principium, altera Practicæ. — Versatur itaque illa omnis in expli-

plicanda origine & possibilitate cognitionis e necessaria limitatione $\tau\theta$ Ego per $\tau\theta$ non-Ego; hæc vero in practica intelligentiæ natura e propensione ejus non-Ego limitandi evolvenda.

Ego, cum nihil sit nisi purum agere, expansiva est vis, quæ ut reflexioni possit sisti consistentiamque quasi ita consequatur, vi quadam alia repellatur, necesse est, atque retardetur. Licet vero hanc vim ex ipso primi principii tenore, utpote suum non solum agere verum etiam esse simul constituentis, in ipso Ego ponere debuisset Fichtius indeque objectivum omne, sive $\tau\omega$ puro Ego oppositum non-Ego, ut necessarium deducere, contra antithesin solum secundi principii servans atque retinens, in $\tau\tilde{\omega}$ non-Ego hujus retractivæ vis causam quæsiit omnem. Perdita sic primi principii identitate absoluta, synthesi dein Tertii principii (cum propter ejus in duas partes divisionem, tum propter eam, quæ in harum prima inest, repugnantiam internam) novas progignente antitheses, in his (antithesibus) per ultiores syntheses reconciliandis tota versatur reflexio philosophans. Restare scilicet non possunt antitheses nisi tertium principium fundamentale, e quo emanarunt, & una cum eo conscientiæ unitas, plane tollatur. Antithesium igitur & synthesium seriem sequentes, cum in vi imaginandi, ut ultima Philosophiæ Theoreticæ synthesi, conciliationem frustra quæramus, ulterius,

terius, in Practicam scilicet, ut mox videbimus, Philosophiam, est progrediendum. In imaginationis enim producta animadvertentes, cum hæc nihil sint, nisi inter limitatum & illimitatum oscillationes, si in Ego reflexionem adhibuerimus, ipsum erit limitatum atque non-Ego illimitatum, si in Non-Ego, hoc erit limitatum, illud vero illimitatum. In Antinomiae pugnam sic incidentes, eam non nisi altiore reflexione evitabimus. Quam cum perficimus, videmus Ego ipsum facere eam reflexionem, per quam limitatum sibi videtur, & e qua pendebat antinomia. Hinc intelligitur, Ego, quippe quod, ut se ipsum limitet, Non-Ego illimitatum esse patiatur, ita sibi veram infinitionem adhuc servare & in practicam regionem innuere progressum. In qua si regressus ad principii identitatem pateat, nunc videamus.

In Philosophia Theoretica jam perspicuum est objectivitatem omnem, non nisi limites puro Ego constituere, sed cum hi limites necessarii sint ad intelligentiæ conscientiam explicandam & tamen actus puri Ego illimitatus mansurus sit, non potest his postulatis satisfieri atque eorum oppositio restringi alio modo, quam ut puro Ego concedatur nisus, hos limites in infinitum promovendi. Quare, cum practica vis in hoc solum nisu consistat, purum Ego *Ideale* erit illud, quo tendat intelligentia, quod tamen nunquam attingat. Nisus
hic

hic purum Ego producendi, per solum Ego determinatus, seriem dabit idealem, e contrario in impulsum reflexio seriem offert realem.

Summa disciplinæ Fichtianæ sic breviter exposita, non omnino ita nobis favemus, ut credamus, nos ejus veram indolem planam reddidisse atque dilucidam; feliciter satis atque ex sententia rem gessimus, si præcipua ejus momenta ita a nobis fuerint exposita, ut causam ulterioris speculationis inde eruere nobis contingat. Quam investigantibus monere nobis liceat, systematum principia neque primum homines movere, neque maximam in iis positam esse curam, sed eorum consequentias omnem sibi initio attrahere attentionem, quippe quæ primum omnium examinentur, ut innotescat, an cum conscientiæ factis omnibus, quorum in philosophia potissimum desideratur explicatio, omnino congruant. Quare, cum nobis Schellingianæ disciplinæ a Fichtiana declinationem explicaturis verisimile videatur, hanc etiam difficultatibus potius consequentiarum quam principiorum fuisse commotam f), ad illas difficultates heic solum anim-

C

ad-

f) Hoc nihil ambegimus affirmare, cum Schellingius ipse hæc habeat verba: *Vergebens würde man glauben, dass der Sieg schon durch die Principien allein, die man seinem System zu Grunde legte, entschieden sey, und das es nur darauf ankomme, welches Princip man anfangs aufgestellt habe, um das eine oder das*

advertemus, has ad occasionem, ubi ipsum principiorum discrimen simus explicaturi, reservantes.

Per totum Fichtianæ Philosophiæ tenorem continuam observamus intelligentiæ atque naturæ pugnam, non nisi obedientia hujus atque servitute plane restinguendam. Omne igitur, quod in natura scrutanda versatur, studium, per se animum mirifice blandiens, suscipiendum solum est, ut, perspectis ejus viribus, leviori negotio eam nobis reddamus subditam. Naturam, in conditionem reflexionis depressam, omne, in sua ipsius magnificentia & pulchritudine quærendum, in hoc Systemate perdere pretium, immo, in non-reale quoddam abire, quis non videt? Moralitatem dein ubi respexeris, etsi Stoicam omnino viri immortalis sublimitatem, qua libertatem rationi atque autonomiam vindicans, in natura delenda hominis posuit pretium, mirabundus

andere System zu retten. Nicht um ein solches Kunststück ist es zu thun, da man am Ende nur das wieder findet, was man anfangs — schlaue genug — zum finden zubereitet hatte. Nicht die theoretischen Behauptungen, die wir schlechthin aufstellen, sollen unsre Freyheit nöthigen, so oder anders zu entscheiden: (dies wäre blinder Dogmatismus), — vielmehr gelten so bald es zum Streit kommt, jene Principien, so wie sie im Anfang aufgestellt waren, an und für sich selbst nicht mehr: jetzt erst soll praktisch, und durch unsre Freyheit entschieden werden, ob sie gelten oder nicht &c. Cfr. Briefe über Criticismus und Dogmatismus pag. 187 sqq. Ed. Ups.